CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

QVAS

ADMODUM REVERENDO PATRI

PETRO

PIAGGIA,

Collegii Cracovienſis Scholarum Piarum

RECTORI,

Cum gratulatione Divi illius Patroni

NUNCUPATAS

STUDIUM THEOLOGICUM

Publicè expoſuit propugnandas.

III. Kalendas Julii MDCCLVI.

CRACOVIÆ
Typis Michaëlis Dyaſzewſki, S. R. M. Typographi.

Cum gratia tanta referri non poteſt, quanta debetur, habenda tamen tanta eſt, quam maximam animus capere poteſt. *Cic: Philip:*

Nullum eſt nec ſincerius, nec acceptius genus gratiarum quam cùm illas acclamationes æmulamur, quæ fingendi non habent tempus. *Plin: Panegyr:*

DIGNISSIME
COLLEGII NOSTRI
RECTOR.

NEc utilior alia Theologiæ pars, nec tempus quo tractanda publicè susciperetur opportunius, nec Auspex & Patronus, à quo tali doctrinæ nostræ tractationi decus & præsidium, optabilior Te hodierno die potuit contingere. Ita enim hæc conspirant simul omnia, ut quam hujus exercitationis publicæ, celebri hac Ornatissimorum Hospitum frequentiâ, Theologicum nostrum

studium audet facere Tibi, eo, quo par est, cultu & observantiâ, dicationem, cum solemni gratulatione diei Divo Tui Nominis Indigeti Sacræ conjunctam, eam non modo ex animo & studio susceptam, sed etiam quadam felicitate nostra, decretam esse, sit existimandum. Nam in primis ut de aliis, de quibus jam abunde suis temporibus dictum est, mentionem nullam faciamus, sola legum doctrina qua earum natura & siqua, quæ pertineant ad eas penitus pernoscendum, atq; adeo quod necessario consequitur probe servandum, prorsus obscura & nec omnino clara sint, ut ab omnibus possint clarè videri, in bono lumine ponuntur: nullâ alterâ in Theologia est fructu inferior; superior verò bene multis & talibus, quarum ignoratio facilè difficilève condonanda tamen; hujus verò, homini ad societatem non quamcumq; nato, sed eam, cujus ipse pars & teneatur legibus, & communi felicitate omnium, quæ una societati proposita hominum, potiatur, nullo sit modo condonanda. Pleræq; enim disciplinæ, ut ad excolenda & acuenda ingenia, ad exornandos scientia rerum animos, propterea prosint multum, quòd rerum consideratio & contemplatio sit quasi naturale quoddam pabulum animorum, tamen nihil nè jucunditatem quidem & delectationem in commune bonum possunt afferre. Legum verò naturæ intelligentiâ, æquè fere ac auctoritate magistratûs, bonos in officio contineri, malos in ordinem redigi, turbas & dissensiones caveri, leges ipsas servari, tranquillitatem firmari, ex qua bene magnam felicitatis partem pendere, probari necesse non est. Neq; verò inde etiam, his deteriora singillatim in unumquemque commoda proficisci. Num? teneri se lege, necne dubitatio

bitatio parum perturbationis afferat? num? metus & sollicitudo sua se opinione decipiendi & perdendi, minus etiam de valetudine vel tranquillitate animi deminuat? at huic perniciosæ ægritudini unum remedium, legum naturam & conditionem rectè perspexisse. Ex quo, quod caput ad beatè vivendum est, securitas & tranquillitas existit animorum. Iám verò ipsas civium singulorum fortunas cognita vi legū in tuto positas esse, eâdem verò ignoratâ, illarum possessione, aut perversa interpretatione excidere, aut vi deturbari, aut si tantum animi est, eâdem se oportere vi defendere ac tueri. Si me instituta brevitas omnium ordinum homines, omnia eorum officia, foris & domi, pace & bello, omnia eorum munera, sacra in Ecclesia, civilia in Republica percurrere pateretur, in his omnibus palam fieret, ignorare legum naturam, summam esse & privatim & publicè perniciem, contra verò nosse omnem & solam felicitatem. Quam qui nesciat, eum etiam humanæ societatis indolem, quæ tota in legibus posita est, nescire credendum, gnarum verò in humana societate etiam totum quantum insit boni non latere. Tanta & talis cùm sit legum doctrinæ cum dignitate conjuncta utilitas; gratissimum & honestissimum nobis est, tuum ei comparasse auspicium, qui de ejus fructu & præstantia sapienter judices ac decernas. Quando quidem vero magis nihil convenit; quàm excellentem rem, non minore excellentia Viro offerri; quod utriusq; dignitas, fiat hoc pacto amplior & manifestior, atq; publica utriusq; existimatio longè magis augeatur, nobis hoc ex sententia accidisse lætamur. Non humili quippe propter rei subjectæ argumentum disputationi nostræ, magnæ

etiam

etiam propter eos, qui partes, pro sua, qua sunt, humanitate, susceperunt nobiscum disserendi, magna Tua dignitate sit splendoris accessio, quæ aliunde etiam Tuarum cresceret magnitudine laudum. Harum enim bona pars literæ atq; eruditio & optimis versandis doctissimorum virorum monumentis, & ingenio suâ naturâ summè perspicaci, & aliis multorum annorum spatio in eisdem cum laude instituendis abunde comparata, esset non mediocris præsentis argumenti nostri amplificatio, si per modestiam Tuam liceret, posse enim licere confideremus. Nam nobis etiã tacentibus, quod de omni scientiarum genere, Philosophiâ, Theologiâ, alios disserere libenter audias; & ipse de iisdem, quarum eximium cum non mediocri Tui commendatione Professorem egeris, per quam eruditè disseras, Te scientiarum laude præstare, & earum eruditione oblectari, ipse non obscurè declaras. Proinde excusatos nos benevolè habueris, si quæ Tu ipse, licèt velis & contendas, cælare nequeas, nos etiam imitatione Tui palam prædicemus. Quando illa præterea illustriũ rerũ conditio est, ut nullo pacto obscuræ delitescãt, sed emineant necessario, & omnium oculis ac sermone usurpandæ proponãtur. Atq; idcirco Tua eximia merita & virtutẽ, quibus voluptate afficiuntur omnes boni, illustratur Ordo & Provincia, cõmendatio & amor passim conciliatur, si celebrare contendimus, non aliud quid causæ est, quàm cùm præclarè agere, Tibi honorificũ duxeris, præclara à nobis etiã dici de Te oportere. Ipsa nãque quadã necessitate fit, ut ista Tua moderatione tũ in expetenda gloria, tum in prædicatione Tui defugienda, aut potius animi magnitudine in despicienda, quæ quidẽ una virtus adeò latè patet, ut sine cæterarũ omniũ, quasi quodã concursu, eam comparare prope incredibile sit, immortalẽ laudẽ merearis. Quod si ea virtute florere præstabile est, quæ privatim ornat hominẽ, quantò præstabilius, iis præditũ esse virtutibus, propter quas præter honorẽ & reverẽtiã, gratũ etiã animũ alii Tibi debeant? quod quidẽ ego in Te, ut præterea, tamen pro me locus hic, & complures

loquun-

loquũtur anni, quibus Collegio huic regẽdo eâ ſapientiâ praees, ut nihil omnia, niſi quod cum Tua ſũma prudẽtia, facilitate, ſolicitudine ſit conjunctũ, ſpirent & prodãt, & qui Viris hujuſmodi præſis, quorũ in Ordinẽ præſtantiſſima merita, ſunt multò clariora, quàm cujuſque, ſi de illis eſſet dicendũ, quãtũvis ſplendida oratio, non indignũ manifeſtò oſtendunt. Sunt hoc in Collegio, & fuerint, non ad temporis diuturnitatẽ aliquã, ſed ad perpetuã hominũ memoriã, ea Tuorũ monumenta laborum & curarũ, quorũ alia funditus fere Tua, qui habitaverint, docebũtur & cum iis conſequẽntes anni, omnẽ Te vitã tuã, non Tibi ſoli, ſed Ordinis, Provinciæ, ſed Domus hujus cõmuni bono vivere, aliiſq; eſſe utilẽ, unicè ſtudere. Verùm enimvero, quoniã hæc, pauca quidẽ ut diceremus, fecit tempus opportunũ, ut multò plura prætermitteremus Tua ſingularis modeſtia, cui graves eſſe non poſſumus, nunc ſaltim eadẽ temporis opportunitate utemur, ut in hoc noſtro, quod ſi ex ſua, aut ex Tua dignitate ſpectetur, ſane exiguũ, ſi ex noſtris omniũ animis, aliquãtò majus, erga Te officio, cum gratulatione nominis voluntatũ noſtrarũ teſtificationẽ, per progreſſuum in his ſtudiis, qui magnã partẽ Tuis curis debentur, præſentẽ dicationẽ conjungamus. Utriuſq; proinde officii hæc ſumma: nos Tibi precari & optare, ut revera ex animo optamus & precamur omnia ex voto, non tãtũ idcirco, quod Tibi cara & jucunda ſint, ſed quod illis Te effeceris digniſſimum, aut potius nobis, Provinciæ, & huic precamur Collegio, ut quoniã immortalem Te, quẽ nũquã mori vellemus, habere non poſſimus, gaudeamus tamen in plurimos annos incolumi & fortunato. Hæc tibi, hæc tuorũ meritorũ magnitudini, hæc ſummis dignitatibus, quæ Te in Provincia manent, hæc deniq; ardentiſſimis deſideriis noſtris deberi.